mus (quemadmodũ per inſignẽ injuriã talia de nobis larvarus Benbellona impudentiſsimè evomere haud dubitavit) vel etiã ullo pacto ipſorũ interitu delectemur: ut potius preces publicas & privatas, pro ipſorũ converſiõe & ſalute ſeriò cõcipiamus ac fũdamus: & de triſtiſsimo hoc Schiſmate verè & ex animo doleamus.

Cæterùm ut pacem iſtam ſub Auguſtanæ Confeſſionis prætextu, & ſic ſub venerando Religionis Orthodoxę titulo ſibi jure vendicare queant: id verò eſt, quod pactis & tranſactionib. publicis, multisq; Comitiorum & conventuũ Imperij receſsibus adverſum: Confeſsioni noſtræ, adeoq; ipſi veritati Evangelicæ inimicum: & tandem Eccleſiis noſtris modis omnibus inſidioſum eſſe, etiam atque etiã contendimus. Nam quantũ diſcriminis intercedit Chriſto & Belial: veritati & mendacio: dextro & ſiniſtro: tantũ etiam diſcrepantiæ intercedit doctrinæ, quæ in Confeſsione Auguſtanâ, prima illa, ac γνησίως proprieq; ſic dictâ traditur;